

Imò in hac nostra Ecclesia Collegiata S. Petri Lovanii; licet Cantoria non sit Dignitas; locumque post omnes Canonicos primæ fundationis in choro habeat, tamen personaliter in solemnioribus officiis assistens, Canonicos omnes, qui per ordinem ei assistunt, præcedit, quasi in Dignitate constitutus.

VII. Utinam hæc onera, quæ sibi ex officio incumbunt, expendere Ecclesiarum Cantores; facile intelligerent, se in clero Digniorum locum habere, proventusque Ecclesiasticos percipere, non ut inde superbia, aut orientur & commode vivant, sed majori auctoritate munera sibi incumbenda exsolvere queant, recogitentque serio, defectus & irreverentias Divini Officii, si muneris suo desint, aliquando in districto Dei iudicio sibi imputandos.

CAPUT IV.

De Scholastico.

- 1 In Collegiis Canonicorum olim fuerunt Scholæ puerorum.
- 2 Ecclesia Cathedralis & Collegiata suas Scholæ retinuerunt.
- 3 Scholasteria olim simplex beneficium sensim in Dignitatem degeneravit.
- 4 Decretum Concilii Tridentini circa Scholasterias.
- 5 Scholastici per se formanda iuventutis intendere debent.
- 6 Eorum cura in constituendis Scholarum Magistris.
- 7 Sapius Scholæ frequentare & curare debent.
- 8 Primaria cura semper manet apud Scholasticos.

I. Am pridem in Canonicorum Collegiis, vigente adhuc vita communi fuisse adolescentium & puerorum Scholæ, in quibus à pueritia paulatim ad vitam clericalem formarentur, nonissimum est.

Ut verò Scholæ illæ non solum essent Scholæ literarum, sed & virtutum, unus ex probatissimis Scriptoribus, qui pueros & adolescentes in bonis moribus & vitæ sanctitate erudit, sollicitè deputabatur, „Frater, ait Regula Canonico- rum cap. 135. cui hæc cura committitur, si eorum curam parvipenderit, & aliud quam oportet, aut eis in aliquo læsionis maculam ingesserit, severissime correptus ab officio amoveatur: & Fratri alii committatur, qui eos & innocentis vitæ exemplis informet, & ad opus bonorum peragendum excitet.

II. Vita communi Canonicorum in singularem commutata, licet pueri & adolescentes Canonicis sensim quoque cohabitare desiderint, nihilominus mansere puerorum & adolescentium Scholæ cathedralibus & collegiatis Ecclesiis subiectæ; mansitque & unus è Clero, qui eam curam ageret, qui hodie Scholasticus, sive interdum Scholarchus, hoc est, Scholæ Præpositus sive Præfectus nuncupatur.

III. Olim Scholasteria sive munus Magistris Scholarum erat simplex officium, à quo si quis minus conveniens iudicabatur, pro arbitrio Superiorum amovebatur; ac stabilita tandem singulari Canonicorum vita, uti & pleraque canonicorum munia, in Beneficium, imò & in aliquibus Ecclesiis ad Dignitatem evecta est. Hinc ulterius contigit, ut ob splendorem Dignitatis & proventus amplos annexos munia illa ambiri cœperint; constituitque Scholastici, qui vix seipsum regendis essent idonei; aut manentes satis esse, si ipsi Dignitate & proventus potuerint, officium verò à se in alios derivarent. *Etate nostra*, ait Albertus Crantius lib. 7. *Wandal. cap. 4. Scholastici nullum officium est, nisi colle- Etas pauperum Scholarum in usus mensa sua vertere.*

IV. Hinc abusus obviare volens Synodus Tridentina statuit *Sess. 23. cap. 18. De reformat. Ut, de cætero offi-*

cia vel Dignitates illæ, quæ Scholasteria dicuntur, non nisi Doctoribus, vel Magistris aut Licentiis in Sacra Pagina aut in Jure Canonico, & aliis personis idoneis, & qui per se ipsos id munus explere possint, conferantur, & aliter facta provisio nulla sit & invalida, non obstantibus quibusvis privilegiis & consuetudinibus etiam immemorabilibus.

V. Hoc Decreto apertissimè declarat Synodus, Scholasticos tales esse constituendos, qui per se munus suum explerent: id est, curam Scholarum habeant, & formandæ instituentque iuventuti intendant.

VI. In primis igitur Scholasticus est curare, ut si ad ipsum spectet constituere magistros sive magistras Scholarum, nullum aut nullam admittat, nisi prius de illius capacitate & bona conversatione ac piis moribus apprinh sit instructus, de quo merito sperare queat, quod tenellæ iuventuti continua virtutum exempla ob oculos ponet; & cui nihil magis curæ sit, quam puerorum malas inclinationes refrænare ac mortificare, & virtutum semina inserere.

Si enim Magistri aut Magistræ non undequaque à vitis sint immunes, facile aliquam vitiorum illorum maculam iuventuti communicabunt. Notum quippe est, quam facile pueri velut novæ & adhuc recentes testæ odorem aliquem, quem diu reservent, recipiant.

VII. Neque hic sistere potest Scholasticus, quasi sufficeret, quod Magistrum aut Magistrum Scholis designaverit & instituerit, sed ipse meminisse debet, se semper manere Scholarum Præfectum, ideoque jugem Scholarum curam sibi incumbere; seque invigilare debere, num iuventus tam in literis, quam moribus ritè instituat & proficiat: eumque in finem frequenter per se visitet, examen instituat, eaque omnia faciat, quæ ostendant, eum iuventus sedulo invigilare, atque de eorum profectu in literis ac morum pietate multum esse sollicitum verumque esse Scholarchum sive Scholarum Præfectum. Et quidem tanto vigilantior esse debet Scholasticus puerorum Magister ab Ecclesia designatus, quanto tenella iuventus facilius vel perversâ doctrinâ, vel perversis moribus inficitur; eoque periculiosior sit vel minima puerorum infectio, quod ea quæ primùm cum lacte quasi imbuntur, etiam si pessima sint, plerumque usque ad senectam, imò ad mortem usque retinere soleant.

VIII. Tametsi ergo hodie à Scholasticis aliisve, quibus id ex consuetudine a hove titulo competat, præficiantur instituendæ & formandæ iuventuti Magistri vel Magistræ, tamen præcipua ac primaria cura manet apud Scholasticos: quæ sanè non exiguam prudentiam, eruditionem ac zelum requirere solus inficiabitur, qui nescit, quanta peritia, quantumque labor & industria requirantur, ut iuventus corrupta natura in novam commutetur, atque in ea conservetur; ut propterea non immeritò Synodus Tridentina tam sollicitè inculcaverit, ut Scholasteria non nisi Doctoribus, vel Magistris aut Licentiis in Sacra Pagina, aut in Jure Canonico, aliisve personis idoneis, qui per se ipsos id munus explere possint, conferantur.

Porrò qua ratione Scholæ tum in Civitatibus, tum in Pagis ex Synodorum & Principum nostrorum Decretis sint instituendæ, quæque circa eas observanda, pluribus exponetur *part. 2. tit. De Scholis.*

CAPUT V.

De Theaurario.

- 1 Theaurarius unde dicitur?
- 2 Theauraria interdum simplex Officium, interdum Dignitas.
- 3 Officium Theaurarii.

- 4 Theaurario cura suppellectilis Ecclesiastica incumbit.
- 5 Custodia actorum & litterarum ad Ecclesiam spectantium incumbit eidem.
- 6 Quomodo Theaurarius à consuetudine Ecclesie sua officia metiri debeat?
- 7 Theaurario ordinarè plura incumbunt quam apprehenditur.
- 8 Monitum Molani ad Theaurarios notandum.

I. N plerisque Canonicorum Ecclesiis solet esse unus Theaurarius à thesauris Ecclesie, qui ejus custodiam committuntur, nomen habens, inquit Molanus lib. 2. *De Canon. cap. 13.*

II. Est autem Theauraria apud quosdam ut exempli gratia in Ecclesia Collegiata S. Petri Lovanii, simplex officium, à quo, si indoneus appareat, amoveri potest. In plerisque verò Ecclesiis est vel Beneficium vel dignitas, etiam interdum ex primariis. Et quidem tempore Innocentii III. Theaurariam Nivernensem fuisse pro dignitate reputatam, inde apparet, quod Theaurario Nivernensi causæ cognitio delegata reperitur in *Cap. 32. De Officio Judicis Delegati.* Notat autem Molanus, quod prius, (scilicet esse simplex Officium,) simplicitati vetustatis magis competat; tunc enim omnia Officia in Clero erant obedientiæ, ut aliqui Clerus Colonienfis loquitur. Posterior verò ex divinis enatum est, quæ in Cathedralibus aliisque Capitularibus Ecclesiis varia Officia, non modo in beneficia, sed etiam in Dignitates exierunt. Quo fit, ut aliquando is fiat Theaurarius, qui se ipsum custodire ac gerere nesciat, quique ineptus sit ad custodiendum parvæ domus custodiam.

III. Officium Theaurarii describit conformiter ad ea, quæ dicuntur sub titulis *Decretalium De officio Sacrificæ, & De officio Custodis, Rodericus Zamocensis* his verbis: „Theaurarius sive custos præcipua quadam prerogativa, ac honoris præ eminentia in Sacrosancta Ecclesia fulget: illorum enim Dignitati & Officio Basilicarum primo incumbit custodia & tutio, Ostiariorum institutio, luminarium incensio, & præparatio, cura denique baptisterii. Vasorum quoque Sanctorum & Sacerdotalium vestium: nec non Sacrarum Reliquiarum, ac tandem totius Ecclesie Theauri ad eum principalis pertinet custodia. Sed & inter Ecclesie Ministris, pro modo obsequii, & personarum differentiis, redditus & oblationes dividit. Merito igitur S. Synodus id ipsum dignitatis officium, ut unam Ecclesie columnam, summo studio eligendum, honorique habendum decrevit, ut nullus, in ea nisi sanctior & melior ordinetur.

Hæc ille, supponens cum pluribus aliis Canonistis ea quæ in Decretalibus De officio Sacrificæ & Custodis leguntur, hodiernis Theaurariis esse applicanda, neque iis qui hodie in Ecclesiis sive Canonicorum, sive Parochialibus Custodes seu Matricularii vulgo appellantur, applicari posse; quod & supra *tit. 4. cap. 1. notavi.*

IV. Concilium Colonienfe anno 1260. Theaurarios cum Custodibus confudit, monetque; „ut luminaria Ecclesie, ita fideliter ad ministrant, & generaliter omnis Ecclesiasticæ suppellectilis seu Theauri custodiam, eorum fidei atque curæ committam ita conservent fideliter & solerter, quod inde non sint reprehensibiles, & quod pœnam Canonice castigationis evitent.

V. Nec tantum vasa & ornamenta sacra; sed etiam acta omnia, instrumenta & privilegia, quibus feuda, beneficia & reliqua omnia jura continentur, sub Sacrificæ, seu Theaurarii manu remanere debere ex *Ep. 57. lib. 1. Innocentii III.* tradit Cironius in commentario ad titulum *De Officio Sacrificæ*, qui tamen ad titulum *De Officio Custodis* rectè monet, de his non esse certi quippiam statuendum, propter varias Ecclesiarum consuetudines, „ad quas, inquit, omnia hæc Officiorum & Dignitatum jura semper referre debemus.

VI. Hæc tamen nolim ita intelligi, quasi sufficiat The-

aurario atque Dignitatem aut Beneficium in Ecclesia obtinenti examinare, quid eorum Prædecessores aliqui egerint; aut quid similem Dignitatem in aliis Ecclesiis obtinentes passim agant. Cum nihil sit frequentius, quam inter hujusmodi generis homines reperiri, qui nihil penè eorum quæ Officium requirit, adimplent; rati sufficere, si dignitate & proventus potiantur; sed horum negligentia non pro legitima consuetudine, sed pro enormi & deplorando abusu reputanda est.

XII. Ut ergo de sua obligatione statuatur Theaurarius, aliusve Dignitatem aut Beneficium obtinens, consulere debet Sacros Canones, litteras fundationis sive erectionis, statuta sacre Ecclesie aliisque similia monumenta; ut ex illis, quid sui Officii sit intelligat; nec dubitandum, si hæc serio revolvantur, quin constabit, nullum esse Beneficium aut Dignitatem, cui non sit ex mente Ecclesie & Fundatorum otus notabile annexum; atque omne Beneficium dari propter Officium; verissimeque dictum esse à Molano; *est Theaurarii nomen per dulce sit, difficile tamen est Officium si rectè geratur.*

Unum hic præterea monendum censuit Molanus, quod & præfenti temporum calamitati admodum congruit, nimirum, „multos esse nedum Theaurarios, sed & corpora sive Collegia Canonicorum, qui nesciant, quid sit Custodia sacre Ecclesie, Putant enim tunc demum eos custodiri, si ad ornatum templi Dei custodiantur. Si quis vero vel propter publicam famam, vel propter redemptionem captivorum, eos alienare velit, quam multi clamant non custodiri sed distrahi & dissipari vasa Dei? Quasi verò quod in viva Dei templa ex necessitate impenditur, hoc malitiosè materiali Dei templo detrahatur. Sic carnales homines sapiunt, sed longe aliud est Sanctorum Dei iudicium.

CAPUT VI.
De Canonico Theologo.

- 1 Decretum Concilii Lateran. de institutione Theologi.
- 2 Decretum Concilii Basiliensis.
- 3 Decretum Concilii Trid.
- 4 Consuetudine ex Decreto Concilii Trid.
- 5 Præbenda non intelligitur affecta Theologo nisi per actualem deputacionem.
- 6 Quoties & quo tempore Theologus prælegere debeat, Synodus Trid. non determinavit.
- 7 Hac de re S. Caroli Decretum.
- 8 Pleraque Concilia volunt bis aut ut minus semel per hebdomadam doceri.
- 9 Et Canonici lectioni interesse debent.
- 10 Ex mente Ecclesie Theologus per se docere, & omnes de Clero Ecclesia lectioni interesse debent.
- 11 Theologus ubi horis quibus docet etiam distributiones in absentia lucratur.

I. Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap. 4. De Magistris*, voluit, ut Metropolitanis Ecclesia Theologum habeat, qui Sacerdotes & alios in Sacra Pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad Curam Animarum spectare noscuntur.

II. Hoc generalis Concilii Decretum per Synodum Basiliensem *Sess. 31. cap. 3.* extensum fuit ad Ecclesias Cathedralis, taliter videlicet, „Quod quilibet Collator ipsarum Præbendarum teneatur & debeat Canonicatum & Præbendam, quamprimùm facultas se obtulerit & inveniiri potuerit, uni Magistro, Licentiato, vel in Theologia Baccalaureo formato conferre, qui per decennium in Universitate privilegiata studuerit, & onus residentie & lecturæ & prædicationis subire voluerit, quique bis aut semel ad minus per singulas hebdomadas, celsante legitimo impedimento legere debeat; & quoties ipsum in hujusmodi lectura deficere contigerit, ad

arbitrium Capituli in subtractione distributionum totius hebdomadae puniri possit. Et si residentiam desererit, de alio provideatur. Verumtamen ut liberius studio vacare possit, nihil perdat, cum absens fuerit à Divinis.

Decretum illud ad verbum Sanctioni Pragmaticæ, nec non Concordato inter Franciscum I. Regem Gallie & Leonem X. insertum est.

III. Intelligens autem Synodus Tridentina hæc saluberrima Decreta non ubique suam hæcenus obtinuisse optatum effectum, edixit *Sess. 5. cap. 1. De reformat.* Ut "in Ecclesiis Metropolitanis vel Cathedralibus, si civitas insignis, vel populosa, ac etiam in Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius Diocesis, si ibi Clerus numerosus fuerit, ubi nulla Præbenda aut præstimonium seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, Præbenda quomodocumque præter quæ ex causa resignationis, primò vacatura, cui aliud onus incompatible junctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuò constituta & deputata intelligatur. Et quatenus in ipsi Ecclesiis nulla vel non sufficiens præbenda foret, Metropolitanis vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis Beneficii, cui ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiorum suæ civitatis & Diocesis, vel aliis, prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacra Scripturæ lectio habeatur; ita tamen, ut quæcumque alia lectiones, vel consuetudine, vel quavis alia ratione instituta, propter id minime intermitantur. Ecclesia verò, quarum annui proventus tenues fuerint, & ubi tam exigua est Cleri & populi multitudo, ut Theologiæ lectio in eis commodè haberi non possit, saltem Magistrum habeant ab Episcopo cum consilio Capituli eligendum, qui Clericos alioque Scholares pauperes Grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa Sacra Scripturæ studia annuente Deo, transire possint; ideoque illi Magistro Grammaticæ vel alicujus simplicis Beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perseveraverit, assignentur, dum tamen Beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio: vel ex Capitulari vel Episcopali mensa condigna aliqua merces percipiatur: vel aliis Episcopus ipse aliquam rationem ineat suæ Ecclesiæ & Diocesi accommodam; ne pia hæc, utilis, atque fructuosa provisio quovis quæsito colore negligatur. In Monasteriis quoque Monachorum, ubi comòdè fieri queat, etiam lectio sacra Scripturæ habeatur."

IV. Ex mente Concilii Tridentini, non tantum in Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis juxta præcedentium Conciliorum Decreta, sed etiam in Collegiatis Insignibus, ubi numerosus est Clerus, constituendus Theologus, qui Sacram Scripturam prælegat; eique Præbenda quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primò vacatura, cui aliud onus incompatible junctum non sit, ipso facto perpetuò constituta & deputata intelligatur.

V. Hoc tamen intelligendum est, modò ipse Episcopus primò vacantem Præbendam huic muneri actualiter deputari & annexerit, Theologalemque declaraverit. Antea enim hanc actualem Episcopi deputationem Præbendam non censerit Theologalem; sed manere liberam, communiter tradunt Canonistæ; & ita declarasse S. Congregationem Cardinalium refert Fagnanus ad *Cap. 4. de Magistris*. Vide Zypæum *Consult. 2. tit. De Magistris*.

VI. Quoties verò per hebdomadam, & quo tempore docere debeat, Synodus non expressit; censuitque S. Congregatio teste Garcia *De Beneficiis parte 3. cap. 7. n. 155.* quod de tempore & hora & materia Scripturæ, Theologiæ, quæ in S. Scriptura continetur, super qua legendum sit, relinquatur arbitrio Ordinarii. Evita Synodi pro executione Synodi Tridentinæ celebrata quoque intellexerunt, Synodus P. I. Cameracensis postquam nonnulla de lectionibus Theologicis in Capitulis & Monasteriis habenda

statuisset, in fine adjungit: *Relinquatur autem Episcoporum, Capitulorum & Abbatum iudicio, quibus horum, quibusve diebus sit prælegendum.*

VII. Concilium Mediolanense V. sub S. Carolostatuit, ut "quicumque Præbendam Theologalem vel Tridentino, vel Decreto, aliâ auctoritate ratione in institutam, in Cathedrali Collegiatisque Ecclesiis obtinet, is & quæ sacrarum lectionum genera, & quibus diebus Episcopus præscripserit, ut interpretationis suæ munere fungatur, accurate ad illius præscriptum præstet; ita ut etiam, si expedire censerit, & in Seminario & in aliis Clericalibus Sacerdotalibusque Collegiis doceat: in Basilica verò Cathedrali, saltem de festo, semper Sacram Scripturam publicè interpretetur & exponat, nisi aliquando aliud jussit Episcopus."

Et in Synodo sua Diocesana XI. declarat S. Carolus, ut si singulis feriis prælegere non possit, ter saltem per singulas hebdomadas id præstet: additque "Clericos porro inferiorum ordinum aut Catechismi Romani doctrinâ, aut alia lectione etiam separatim à reliquo Clero sæpius in hebdomada erudiat, atque instituat, ex præscripto regularum nostrarum."

VIII. Alia Concilia pressis in harendo determinationi Concilii Basiliensis insertæ Concordato Leonem 10. inter & Franciscum I. Regem Gallie, & probata in Concilio Lateranensi sub eodem Leone, decernunt, ut Theologalem præbendam obtinentes teneantur bis, aut ad minus semel in hebdomada prælegere, & diebus Dominicis & Festis sollempnibus concionem publicam habere. Synodus Turonensis an. 1583. *cap. 13.* Bituricensis 1584. *tit. 34. can. 7.* Aquentis *tit. De Canonis*; quæ ultima vult, ut saltem bis in hebdomada doceat.

IX. Porro cum frustranea esset Theologiæ prælectio, nisi sint qui eum prælegentem audiant; curare debent Episcopi, Capitula, alique Superiores, ut Clerici instructione indigentes diligenter prælectioni interfiant.

Curent autem Episcopi (inquit Synodus P. I. Cameracensis) cum Capitulis & Monasteriis, quacumque ratione commodius fieri queat, proposita sive pœna, sive præmio, ut frequens sit auditorium, qua in re plerumque valebit docentis industria, si sit efficax in docendo; ut non tantum rem exponere, sed Auditorem retinere, & oblectare possit. Atque eum in finem capite præcedenti monuerat, "ut ii qui Theologiam in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, aut Monasteriis docent, in eo præstando eum ordinem teneant; qui maxime Auditoribus sit commodus, ut lectionis adminiculo non doctiores tantum, sed probiores evadant."

Synodus Turonensis jam citata, postquam dixit, cogendos esse ad sui muneris expletionem Canonicos Theologales, tamquam consequens subiungit: "ceteris Canonicis, Capellanis, Vicariis, Presbyteris & Clericis civitatis injungentes, ut prædicationibus & lectionibus interfiant." Bituricensis loco supra allegato vult, ut "etiam Dignitates habentes cum reliquis Canonicis & Ecclesiasticis concionanti aut prælegenti teneantur adesse sub pœnis indicendis; graviore autem pœna plecentur, ait, qui semel atque iterum moniti absuerint." Synodus Aquentis, ejus lectioni interesse quoque vult Clericos Seminarii, si ita Episcopo videbitur.

X. Itaque ex mente Ecclesiæ, & natura ipsius Præbendæ Theologiæ, tenetur ejus possessor per se, & non per substitutum, cessante legitimo impedimento Scripturam prælegere; ejusque prælectioni Clerus Ecclesiæ interesse.

Hinc cum Canonicus Theologus Ecclesiæ Sangiensis esset monitus à Capitulo, ut conformiter ad Conciliorum Sanctiones concionaretur & prælegeret sub pœna amissionis fructuum suæ præbendæ; isque replicasset, prælectionem suam futuram inutilem: eo quod Canonici non interveniant; quodque Decreta Theologo prælectionem injun-

injungentia, similiter injungant Canonicis, ut prælectioni assistant, questione ad Senatum Regium delata, utriusque parti junctum fuit, ut respectivè Decreta & Canones servarent: id est, Theologus suo munere satisfaceret; & Canonici assisterent. *Tournet Litt. C. cap. 18.*

XI. Ut verò Theologus utilius & fructuosius suo munere satisfaceret, studii quoque liberius vacare possit, etiam si absens fuerit à divinis, ait Synodus Basiliensis, habeatur pro presente, ita ut nihil perdat.

Quare non tantum grossi fructus, sed & quæcumque propriè dicte distributiones quotidianæ, etiam ex anniversariis provenientes, Theologo absentem debentur, iis saltem diebus, quibus docere debet.

Hac de causa, cum Officialis Carnotensis privasset Ca-

nonicum Theologalem distributionibus quotidianis, quia ordine in tabella chori designato lectiones nocturni non cantasset, interjecta appellatione tamquam *ab abusu* ad Senatum Regium, sententia Officialis cassata fuit; declaratumque, Canonicum Theologalem à servitio Chori esse exemptum; nec nomen esse inscribendum tabellæ pendenti in Choro *Tournet Litt. C. cap. 17.*

Refert quoque Nicolaus de Rebbe Canonicus Insulensis in tractatu de Canonicatu Theologici *questione VII.* Gregorium XIII. ex certa scientia & de consilio Cardinalium sanctione irrefragabili ordinasse, ut Theologus solitus legere, absens à servitio Chori, percipiat integros fructus præbendæ, exceptis distributionibus quotidianis propriè dictis: quas & percipiet diebus lectionis.

TITULUS XII.

De Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium.

CAPUT I.

De Archidiacono.

- 1 Primus Episcopi Minister est Archidiaconus.
- 2 Amplissima olim erat Archidiaconi auctoritas.
- 3 Archidiaconus erat generalis Episcopi Vicarius.
- 4 Ejus auctoritas etiam ad Presbyteros extendebatur.
- 5 Archidiaconi auctoritas primum sanctorum fuit vicaria sive delegata.
- 6 Quomodo sensim facta sit ordinaria?
- 7 Saeculo XIII. erat ordinaria.
- 8 Archidiaconi interdum habuerunt jurisdictionem Fori contentiosum.
- 9 Non omnium Archidiaconorum eadem fuit auctoritas & jurisdictio.
- 10 Archidiaconorum potestas multis diminuta.
- 11 Jurisdictio Archidiaconorum per Concilium Trid. restricta.
- 12 In plerisque Ecclesiis hodie nulla est Archidiaconorum jurisdictio contentiosa, sed sola cura extrajudicialis.
- 13 Distinguenda quæ facit Archidiaconus jure proprio ab us. quæ agit tamquam Officialis Episcopi.
- 14 Archidiaconus est Ordinandus præsentare Episcopo.
- 15 Archidiaconi Examini ad Ordines & Beneficia jure suo interveniunt.
- 16 Jure communi Archidiaconi jus habent visitandi Diocesim.
- 17 An sine consensu Episcopi post Concilium Trid. Archidiaconi visitare possint?
- 18 Consensum suum Episcopus facile negare non debet.
- 19 Decani Rurales jure communi ab Archidiacono & Episcopo olim dependebant, secus hodie.
- 20 De jure communi institutio corporalis Beneficiatarum ad Archidiaconum spectat.
- 21 De consuetudine institutio tituli collativa etiam spectat ad Archidiaconum.
- 22 In nonnullis Ecclesiis adhuc hodie amplissima est Archidiaconorum jurisdictio.
- 23 Exemplum suppeditat Ecclesia Leodiensis.
- 24 Aliud exemplum est in Ecclesia S. Jacobi Lovanii.
- 25 Quidquid Archidiacono competit, jure ordinario.
- 26 Quaratione Archidiaconus hodie adhuc dicitur Vicarius Episcopi?
- 27 An Archidiaconus Ordinandos præsentare possit, quos indignos novit, si eos Episcopus dignos judicet?
- 28 Archidiaconi debent esse ad minus Licentati in Theologia aut jure Canonico, & in Belgio ex Canonicis Graduatis assumi.



diaconos olim fuisse præcipuos Episcoporum tum in sacris, tum temporalibus ministeris supra *tit. 1. cap. 3.* ostendimus.

I. Porro inter Diaconos eminebant Archidiaconi tamquam primi Diaconorum, sive primi ministrorum.

Archidiaconus itaque quasi præcipuus Episcopi minister, negotiis Ecclesiasticis præficebatur.

Unde S. Leo conqueritur de Anatolio Episcopo Constantinopolitano, quod eum Archidiaconum constitueret, qui Eutychianæ hæreses se prodiderat defensorum: "quem quia, inquit, nunc Ecclesiasticis negotiis præposuit, propter hæreticam perveritatem eidem favorem suum præstare convincitur." *Epist. 85. ult. edit.*

Archidiaconus itaque generalis quodammodo erat Episcopi Vicarius; tantæque propterea auctoritatis, ut de S. Joanne Archidiacono, qui postmodum fuit Episcopus Cabilonensis, loquens Sidonius Apollinaris, dicat, eum diu hæsisse in Officio Archidiaconi priusquam ad Sacerdotium elevaretur, quia non inveniretur, qui dignè officio illo fungeretur: in quo Archidiaconi gradu, seu ministerio, multum retentus propter industriam, diu dignitate non potuit augeri, ne potestate possit absolvi *lib. 4. Epistola 25.*

II. Amplissimam hanc Archidiaconorum auctoritatem terminis specificis expressit saeculo sexto S. Isidorus Hispanensis, & refertur apud Gratianum *Dist. 25. can. 1.* Archidiaconus, inquit, imperat Subdiaconis & Levitis: "ad quem ista ministeria pertinent, ordinatio vestimenti à Levitis, cura incensæ & sacrificii necessaria sollicitudo; quis Levitarum Epistolam & Evangelium legat, quis preces dicat, seu responsoria in Dominicis diebus aut sollempnitatibus decantet; sollicitudo quoque Parochiarum & ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam: pro reparandis Diocesis, nis Basilicis ipse suggerit Sacerdoti ipse inquirat Parochias cum jussione Episcopi, & ornamenta, vel res Basilicarum, Parochiarum; gesta libertatum Ecclesiasticarum Episcopo idem refert; collectam pecuniam de Communione ipse accipit & Episcopo desert, & Clericis proprias partes idè distribuit. Ab Archidiacono nuntiantur Episcopo excelsus Diaconorum: ipse denuntiat Sacerdoti in sacratio jejuniorum dies atque Solemnitatum, & ab ipso publicè in Ecclesia prædicatur."

III. Hæc Isidori expressio ostendit, Archidiacono integram Episcopalem jurisdictionem tam in spiritualibus quam in temporalibus fuisse conceditam, eique visitationem Parochiarum & Ecclesiarum demandatam fuisse. Uno verbo, Archidiaconus erat Episcopi generalis & universalis Vicarius; ut meritò Vincentius Fortunatus scribens